

S.d. 38
Cont

Th. hist. R. IV. 150. 7⁶².

201.

23

THRENOS

Quos vulgus Jeremiæ tribuit,

IN ACADEMIA JULIA

IN

GEMINI JVBILÆI CELEBRITATE

in utriusque honorem & memoriam

PVBLICE RECENSENDOS

indicit

A. M DCC XII.

Pridie Calend. Novembris

HERMANNVS von der Stadt/

Acad. Jul. Prof. Präpos. Mar.



HELMSTADII,

Typis GEORG. WOLFGANGI HAMMII Acad. Typogr.

23



Fontium Hebraicorum honori & usui.

Veritatis & virtutis pretium gemino præsenti Academiam nostram Jubileo decus afferat & memoriam æternam. Celebravimus juste, publice & privatim, proximo octiduo, inter honesta gaudia, & serenos pectoris probæque mentis plausus, d. 15. Octobris hujus Anni MDCCXII. Magni nostri Julei Jubileum. Augustum hoc Mafatum ædificium, omnium Academiarum splendore superiorius, Collegiorum & doctrinæ publicæ sedes, ut & Bibliothecæ veteris templum venerabile, quod Magni Academiam Fundatoris, Ducis JVLI filius major, HENRICVS JVLIUS, regiis sumptibus sumitarat, illius Nepotis, FRIDERICI VLRICI præsentis autoritate, ipso Academia Natali, Claudio JCto Oratore, Idibus Octobris Anno MDCCXII. solennissime est inauguratum. Centesimus hic Julei Natalis meiniisse jubet fata primi seculi prospera, in elegantioris ejusunque doctrina usu, veritatis flore, & virtutis incremento. Ut hæc Academia apud exterios nomen ferret solidatis & elegantiæ. Centesimus hic Julei Natalis bene precari atque augurari suadet seculo novo inchoato, ut par vel major atque uberior ex solidis & cultis quibuscumque disciplinis deinceps assurgat doctrinæ maturitas, decor & fructus, pro veritatis & virtutis augmento.

Celebravimus itidem recte, serena fronte præsentique animo, mox die 19. Octobr. Jubileum secundum Lutheri. Hic geminum ante seculum, d. 10. Octobr. A. MDXII. in recenti Academia Wittebergensi, in solenni panegyri doctoris theologi charactere oneratus, juratâ fide spopondit Deo, Electori, Academiam, Ecclesiam, veritati, virtuti, christiano nomini, posteritati, intemeratum Scriptura sacra studium, Fontium sacrorum integratatem, veritatis lucem & virtutis cultum. Ducentessimus hic est dignitatis maxima, commodi infiniti, natalis Lutheri Scriptura & vinclii,

vincit, ad veritatem virtutemque cognoscendam, tradendam atque il-
lustrandam divinitus destinati. Jubileum hoc secundum recordari ju-
bet, fuisse hoc initium rerum omnium innovandarum; Fundamen-
tum secutæ emendationis, diei exordium, puritatis & decoris appa-
ratum, noctis terminum, umbrarum & larvarum finem, humanitatis
adventum, sordium fugam, perspicuitatis atque in omni doctrinæ
genere integratæ viam, tricarum atque cruentarum spinarum exi-
lium. Omnia exinde nova: Nec nova, sed resuscitata, revocata ac
redintegrata vetera, prima, vera, haec tenus obscurata, obscurata, sepul-
ta, pressa & barbariei mancipata. Scriptura fons hujus salutis, Fons
sacri seaturigò hujus vitæ atque incolumentatis. Hujus servanda hodie
memoria sancte colenda Jubilæo secundo presente: Quod, sive Lutheri,
sive Scriptura resuscitata, lucis accensa & veritatis animadversa dicamus eorum
secundum, jure summo extollimus votisque prosequimur honore plenis.
Quem diem Jubileum non modo omnes Academias Evangelicæ digne-
& decenter ornent, sed nostra in primis Musarum sedes honorificen-
tissime colit. Siquidem apud nos inestimabile pignus tanti fati, Jubilei Fon-
tium, Jubilæi scriptura, Jubilæi jurata in veritatem fidei, tessera aurea lucis orie,
ANNVLVS ILLE LVTHERI DOCTORALIS, quo datam Fontibus
puris fidem hodie religiose obsignavit. Hoc Jubilæi vere nostri decus
grande, eti magnæ olim gesta symbolum admirabile. Hoc divinâ provi-
dentiâ nostrum depositum, pro omnino & argumento, non modò omnes
Academias, Evangelicam veritatem professas, in Luthero promisisse
fidele Fontium & veritatis studium, citra scholæ veteris fascinum: Sed
nostrum in primis hoc museum, Lutheri oportere esse emulum, cuius
animum, studium, doctrinam, operam, Exegetis, os manumque servet
ac propaget. Hoc proinde tertii jam seculi exordium, in Jubilæi hu-
jus celebritate, omnium in hoc Juleo magno Professorum fidem ob-
testatur; Juramentum illud Lutheri in Scripturam, omnes jam denuo
posteros nostros obligat ad eandem integratatem: *Annulus ille Lutheri*,
ad parem universos Fontium Exegetis arcte devincit. Supremum Nu-
men his monumentis, his signaculis, his memorabilibus prisci fati do-
cumentis, cunctos nos hoc momento obstringit velut motu novo,
monito novo, imperio novo, ad primam illam Lutheri indolem, men-
tem, fidem, veritatis culturam, publicaque prosperitatis curam inde-
fessam.

X. 2

Ad.

Admittimus ergo hodie Divini Numinis auspiciis , novo rerum re-
deuntium orbe,& faustâ fatorum periodo , *Lutheri* pectus imperterri-
tum, mentem sinceram, constans Fontium sacrorum studium, Exegesin
solidam & gravem. Si qui illorum obliit, repetimus avide, revolvimus
cupide, ne ingratisudinis macula, negligentiae inusta , dedecori sit æ-
terno. Exegesin *Lutheri* fundatam meminimus *humanioribus literis*,
elegantioris literaturæ præsidiis, linguarum peritiæ , antiquitatis noti-
tiæ, historiae & geographiæ veteris scrutamine, affectuumque indagine
curata. Theologum, linguarum sacrarum expertem , nihil fecit, nec
tulit, nec ferri voluit. A Scripturæ interprete exegit potissimum *hi-
storie veteris scientiam*. Inanem dixit interpretationem, cœcam & infeli-
cem, quam non præcedat *penitus cognitio historiae*, quoad autorem, librum,
& argumentum. *Historia auctoris*, *historia libri* , & *historiarie* , illius ju-
dicio, præeat oportet dignæ interpretationis primos iimites. Quod
est *bonarum literarum consilium & institutum*. Quandoquidem nul-
lum effatum , vel minutissimum, nulla sententia, nulla lex, nullum de-
cretum aut statutum, nullus adeo liber, intelligi reëte , digne & plene
potest, quanto minus solide & luculenter explicari, nisi constet, quis , &
cujus ille fortis ac conditionis, cuius genii atque consilii , qui dixit aut
scripsit : Deinde, quo temporum habitu, qua occasione, quo scopo, il-
lud pronunciatum aut exaratum : Denique, & rei indicatæ aut tractatæ
fatum quodnam fuerit, an antiqua an nova sit, an renovata, quomodo
olim versata, integre an imperfecte, & quæ tota illius per se indoles &
conditio. Hoc, ex *Lutheri* & bonorum veterum interpretum canone
& usu, luculentæ Exegesos principium. Quo sine interpres incom-
positus, frigidus, & ab usu alienus. Somnus est interpretatio, aut deli-
quicium mentis, sine illo motu, vita, & sanguine. Commentarius, illo-
rum exsors, *Lutheri* effato est ludibrium lectoris, fabulæ proximior, quam
veri nuncio : Umbra interpretis non corpus , somnum non sensus.
Non admisit in recensione aut Exegesi *sensuum multorum fabulas & ridi-
cula vaga insomniorum terriculamenta*. *Unam scriptoris sententiam at-
tendere jussit*, non auditoribus illudere variis tormentis *sensus anagogici*,
tropologici, *allegorici*, & similiūm imposturarum. Eliminavit fucum , &
genuinum autoribus reddi voluit colorem, habitumque & sensum na-
tivum. Ut etiam mascula frons scriptoris compareret , non fucata fa-
cies,

cies , innumeris effeminatis *opinionum variarum* maculis distincta ,
allegatorum undecimque convulsatorum turmis velut lentigine varie-
gatam paginam detectatus . Siquidem ille *variarum sententiarum coacta-*
rum exercitus plerumque *tegumentum est imperitis interpretis* , qui , ne nihil
in rem dixerit , somniantes multos convehat , & errandi licentiam lecto-
ri , sub optionis praetextu , committat . Opinionibus variorum e-
numerandis , in explicando textu , occupari , est , auditores vel letores
circumducere , ut multa audiendo nihil audiant , multa legendu-
nihil legit & intelligant . Familiaris haec formula : *Damus cuilibet sententiæ*
facultatem , eligendi libertatem , est clariori sono : Quid dicam nescio , nescio :
Eboste vos , auditores , letores , me interprete peritores : Nihil dixi . Censura :
Possunt pleraque vel omnes sententia tolerari , est fraus lectori vel auditori
facta , qui dubius redditus quo se vertat nescit , cum ante suis usus oculis
*introspectisset penitus . Fugit has vel ambages vel fallacias , sophis-
mata interpretum , ac commentatorum salebrosos circuitus , aperta Lu-
theri exegesis , quæ , ut illa ferret atas , curate ponderata cuncta diserte
& candide citra ambages pronunciaret ac definitret . Sciri voluit , quid
judicaret , quid sentiret . Nec præfracte definivit : sed tum sibi post
annos sententiam mutandi jus servavit , tum alii posterisque curatius
inspectori facultatem illustrandi amplius propiusque metam attin-
gendi fortunam concessit . Dixit , in Exegeſi , sine circulo , quod animo
adverteret : Optavit & speravit ex annis & ab aliis lucem ampliorem .
Planissimam hanc integrinamque *Lutheri Exegeſi* æmulabuntur
juste & prudenter , quibus Fontes curæ , & veritas animo . Nihil in Exe-
gesi mascula hac de analysi triplici , Grammatica , Rhetorica , & Logica ,
quæ ad tirones spectant . Sciat omnino auditor prophetae vel lector ,
grammaticæ , Rhetorica & Logicae subsidia ; Verum , illa pro Exegeſi
venditare , & in Exegeſi crepare , est tempus fallere , est injuriam facere
Scriptori & Leotori . Majora poscit Exegeſis ex historia & rerum præ-
stantia .*

Multo minus tolerat Exegeſis fluentem peculiaris *artis & scholastice*
scientia togam , longum firma , cum *definitionum ac divisionum* prætexta ,
ex Thomæ officina . Fascina sunt discentium , quibus detincentur multis
mensibus , ut ad rem ipsam se pervenisse jam putent antequam attin-
gant , aut eò non perveniant , præ temporis penuria aut desperationis
metu .

metu. Circulatorias artes non fovit, nisi forte in foro quærenti respondet, mundum sic duci & trahi perambages velle.

Pro Jubilæi proinde nostri honore, Exegetam istum nostratem primum, peritum, prudentem, integrum & apertum, emulabimur, qui sapiemus. Quo fine *Libello Talmudico de Jejunio*, pro ritibus Jejunii illustrandis, qui in Christianam Ecclesiam ex Judaica magna ex parte transferant, ante paucos dies publicâ recensione ab soluto, ad *Fontes reversuri Hebreos*, nunc *Jejunio jungimus Threnos*: Non, quod in Jubilæi faustis congratulationibus vel *jejunio* vel *threno* locum esse debere affirmemus; quasi deploraremus, cum seculorum fluxu multum pristinæ sedulitatis atque disciplinæ effluxisse, Exegeſi priori deformatâ: Sed quod cavere animus fedeat, ne qua nostro negleſtu aut contemptu jejunandi & deplorandi aliquando tempus apparetur. Quandoquidem igitur, pro Lutheri norma & dignâ praxi, *historia autoris præcognoscenda*, merito vel uno verbo removenda fuit vulgata traditio, *Jeremiam* esse autorem. Quæ *secura commentantium fabula* credulas omnium temere perreptavit aures. Nullum namque dignum, nisi ex vago rumore, indicium, Jeremiæ opus esse. Qui seductos se conquerantur nuncio, *z. Chr. 35, 25. de Threnis Jeremia in Josiae obitum*, quasi inde *Jeremiam* Threnorum horundem autorem esse videatur colligendum, illis respondimus fusæ, in nupero *Programmate in AbenEfram*, p. 10. seq. Neque enim illi Threni nostri sunt, sed alii prorsus, in Josiae regis obitum, nostri verò ad Josiam ne colore quidem ullo pellicendi. Neque ille Jeremias, noster est Propheta, Anatotherensis, sed alias, Josiae ficer, Jeremie nomine, Libnensis. Quare ex Scripturæ monumentis, ne veltigium quidem pro autore Jeremias Propheta Anatotherensi, imo nec pro Jeremias Libnensi, qui non nisi in Josiae obitum scriperat, nec ad Hierosolymæ ruinam superfluisse, ullum argumentum. Neutri Jeremiae Scriptura dat hos Threnos, in Hierosolymæ cineres. Quæcunque adeo extra Scripturam de autore libri traditio, examinatur tuto; quod pleraque opinionum fugitivarum fides careat fundo. In Judæorum quorundam argutias redibit popularis ac temeraria vulgi persuasio. Neque alia, quam à Raschio celebrata, non dialektica ac verosimilis, sed somniculosa conjectura, & ne conjectura quidem, sed lepida illusio, ut

ut passim Judæi qualicunque similitudine ludunt. Scribit Raschi:
ורמית כתב ספר קינות היא המגלה אשר שرف יהויקים על
האח אשר על דאס וחו בו שלוש אלף בותות איך ישכח
אייה ושב אייה ועם שוב הוסיף עליון אני הנבר שהוא שלוש
אלף בותות שנאמר ועור נסוף עליהם רכבים כהמת
שלוש: *Jeremias scriptit librum Threnorum. Qui est illud*
ipsum volumen, quod combusit Jojakim in foco ardente, Jerem. 36. In quo, à
Jojakimo exusto threnorum libro, exitere tria Alphabetata, tria capita, que ab
incipient, Caput primum, secundum & quartum. Post illos cineres Jojakimi,
in novo volumine apparato adiecit Jeremias caput tertium, in quo nova simul tria
alphabetata. Prout significatum hoc libri threnorum novum augmentum illis histori-
ci sacri verbis: Jer. 36, 32. Similia prioribus addita multa alia; hoc est, tria illa
alphabetata, capite tertio threnorum, ad tria alphabetata priora, capite primo, secundo
& quarto. Quis non indignetur recordiae, tot fabulis manifestis, lusi-
bus pene puerilibus, ubi apprehendantur ut sonant. Primi traditionis
inter Judæos autores fagaciore, non nisi causam quandam vel proxí-
miam materiam panolethriæ, qua in threnis effigiatæ, subindicavere:
Jojakimum, odio in Jeremiam, volumine illius combusto, quod urbis
exitium futurum præsigiret, effecisse, ut certò urbs periret, in quam
threni illi facti: Haud aliter, ac si in illo à Jojakimo deleto volumine
threni hi & similes jam essent subnotati. Combustionem illam me-
ruisse hos similesque threnos, postea subertos: Utjure Jeremias novo
volumini novas addiderit cumulatioresque minas, haud aliter ac si
tergemimum novum threnorum cumulum, qui capite 3. habetur, sub-
didisset. Quæ analogia, veterum primorum autorum scopus.
Cujus immemores, sensu destituti, temere & crasse, æque ac Raschi,
cum præuentibus, traditionis colorem arripuerunt, velut somno
perfusi, Jeremiæ volumen, à Jojakimo combustum, tam multis ante
urbis exitium annis, hunc suisse threnorum librum. Quarum fabula-
rum, tumido hoc & rudi sensu, propagatores repudiati Aben Ezra,
diserte & citra autoritatis æstimium pronuncians, falsum esse quod
liber threnorum sit illud volumen quod Jojakimus igni commisit.
Græci interpretis, Josephi, Targumistæ recentioris, Vulgatæ & aliorum
levis assensus diffudit iponte, fundo fabula monstrato. Quæ Judæorum
imperita

imperita credulitas fascinavit veterum ac recentiorum inter Christia-
nos cœtum securum. Quanquam Hieronymo jam visa traditio suspecta,
quando animadvertit, cautiores Judeos testari, *Threnos ad Jeremiam*
non pertinere, quod nunquam jungant Jeremias operi aut scriptis,
sed seorsim aliorum opusculis socient, à Jeremia longe remotis.
Tanti est fascinum plebejum! Opinamur pleraque, non scimus, existi-
mamus, quia accepimus. Quæ arripiendi facilitas, & fiducie otium,
fefelleri posteris, & Exegesim obruit fabulis interminatis, qua ex longo
silentio & securitate autoritatem impetrarunt vulgi. Exegetarum
est, non fabulas sectari, quibus tumeant scripta communia, sed de
veritate circumspicere, & historiae scrutari fontes. Doluisse Jere-
miam, cum bonis omnibus superstitionibus, urbe & templo deletis, in
confesso. Ast, in inexplicabili illo luetu, cum itineribus jactaretur
continuis, nunc per Palæstinam nunc in ægyptum raptus, in summa
senectute, paucis illis annis vitae reliquis, præter minas in Babylonem,
nil quod tam sedatum peccatus veheret, ut in alphabetis illis threnorum,
qua non è vestigio, urbe jamjam eversa, sed serius contexta, fluib[us]
non nihil sedatis. Quando adeo nihil horum ad Jeremiam, nullâ
specie, nisi Judaicâ fabella, de alio autore, cum nullus sit memoratus,
circumspicere fas est. Non unum esse appetet autorem, sed plures,
cum quinque distincti prorsus sint libelli, & styli diversitate apertâ
divisi. Submonstrare hi mihi videntur, *tum Danilem, tum Sadracum,*
Meschachum & Abednego[nem], tum Jeconiam, regem, Babylone in carcere
usque ad Evilmerodachi exordia detentum, qui divino spiritu acti in
cineres patriæ has fuderint lacrymas. Quemadmodum plures oda
flebiles, Psalmorum volumine comprehensæ, illa ætate, in exilio Baby-
lonico exaratae, autoribus non memoratis. Ad publicam voluminis
lacrymabilis recensionem accedemus *craftinâ luce*, Deo volente,
Calendis Novemb[ris], cauturi sedulo, ne posteri nostro illacryment
sopori. P. P. in Acad. Julia A. MDCCXII.
die XXXI. Octob.




AB:153257



1017

R



23

THRENOS

Quos vulgus Jeremiæ tribuit,
IN ACADEMIA JULIA
IN
GEMINI JV BILÆI
CELEBRITATE
in utriusque honorem & memoriam
PVBLICE RECENSENDOS
indicit
A. MDCCXII.
Pridie Calend. Novembris
HERMANNVS von der Hardt/
Acad. Jul. Prof. Praepos. Mar.



HELMSTADII,

Typeis GEORG. WOLFGANGI HAMMII Acad. Typogr.